



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicas & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXIX. De triplici renovatione triplicis vetustatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

siquidem, id est, memoria & voluntate non ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc vero gravissimum est & omnino damnosum, si unquam ratio perdiderit intentionis rectitudinem.

## S E R M O L X I X.

De triplici renovatione triplicis vetustatis.

**S**icut portavimus imaginem terreni hominis, portemus & imaginem cœlestis <sup>a.</sup> <sup>a 1. Cor. 5. f.\*</sup> Duo homines sunt, vetus & novus. Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cœlestis: illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, & econtrario, triplex novitas. Est enim vetustas in <sup>Triplex vetu-</sup> corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatio- <sup>stas.</sup> ne, locutione & opere. In corde sunt desideria carnalia & secularia, id est, amor carnis, & amor seculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogatio & derogatio. Item gemina in corpore flagitia & facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, & hæc omnia renovanda sunt in nobis. Si non esset vetustas in corde, non diceret Apostolus <sup>b.</sup> <sup>b Eph. 4. f</sup> Renovamini spiritu mentis vestra, & induite novum hominem, qui secundum DEV' M creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Item si non esset vetustas in ore, non diceret Scriptura <sup>c.</sup> <sup>c 1. Reg. 2. a</sup> Recedant vetera de ore vestro. Et Apostolus dicit <sup>d.</sup> <sup>d Eph. 4. f</sup> Omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed qui bonus est, ad ædificationem fidei, ut dei gratiam audiuntibus. Sed & de vetustate corporis mentionem facit, cum dicit <sup>e.</sup> <sup>e Rom. 6. d</sup> Sicut exhibuisti membra vestra servire immunditia & iniquitati ad iniquitatem. De cuius renovatione etiam subjungit: Ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.

Renovetur ergo cor nostrum à carnalibus & secularibus desideriis: ut exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cœlestis. Recedant ab ore nostro arrogantia & derogatio, & succedant pro his vera peccatorum nostrorum confessio, & bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis & facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia & innocentia, ut scilicet contrariis virtutibus contraria virtus depellantur. Hanc supradictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait <sup>f.</sup> <sup>f Esa. 44. c</sup> Ecce nova facio omnia. Unde & ad sponsam loquitur in Canticis <sup>g.</sup> <sup>g Cant. 8. b</sup> Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore justitia.

## S E R M O L X X.

De vigilantia & sollicitudine curandæ salutis.

**S**peculum sancti sumus mundo, & Angelis & hominibus <sup>a.</sup> <sup>a 1. Cor 4. k</sup> Ita \*<sup>a</sup> plane  
XXXIII.